

Don Joam: Marcoscio
Lisitano"

695

4207-B

so
und

D. O. M. A.
 THESES MEDICAE
 DE VERTI-
 GINE.

Quas

SUB PRÆSIDIO.

CLARISSIMI EXPERIEN-
 TISSIMIQUE VIRI Dn. LVBERTI
 ESTHIL Medicinæ Doctoris, Botanici, Anatomici
 & Physiologices Profess. Præceptoris sui officio-
 se colendi, In antiquissima ac celeberrima
 Heidelbergensium Academia.

Publicæ examinandas proponit.

46468

SEVERINVS CONRADI
 Martens, Lithuanus.

Addiẽm 22 Novemb.

4207

LOCO ET HORA CONSUVETIS.

HEIDELBERGÆ,
 è Typographeio Iohannis Lancelloti.
 cl. Is. C.

Has theses
 sive Viri D.
 Joanni Ma
 rtiæ Litua
 nico et a
 Conr. S.
 lay offero
 et R.



ILLVSTRISSIMO ET
CLEMENTISS. PRINCIPI AC DO-
MINO, DOMINO IANVSIO RADZIVIL:

PRINCIPI in BIERZE & DVBINKI Palatinidæ
Vilnensi, &c. &c. Domino meo cle-
mentissimo.

S. P.



*Vulgata hæc est consuetudo Illu-
striss. Princeps vt ingenij sui
specimen aliquod in lucem edi-
turi, Reges, Magnates alios-
que excellentes sollicitè deligāt
quibus illud deuoueant ac nuncupent. Id autem
alii faciunt, vt tutelam ac presidium aliquod
sibi parent: alij vt beneuolentiam venentur, a-
lii deniq̄, vt acceptorum beneficiorum memo-
riam gratam declarent. Duo priora illa etsi e-
go quoq̄ libenter amplectar, tertium tamen, hoc
tempore potius exequendum duxi: tot tantaque
etenim beneficiæ pro insigni erga omnes clemen-
tia I. C. T. mihi in Germaniam abeunti contu-
lit, vt, nisi ingratus esse velim (quod vitiorum,*

A 2

omnium,

4

omnium est grauiſſimum) non de venanda no-
ua gratia, aut extorquendis aliis beneficiis, ſed
potius de gratiarum actione pro iam acceptis o-
mninò ſit cogitandum. At vero quoties me-
cum & ſummam amplitudinem I. C. T. & re-
rum mearum tenuitatem perpendo, toties ad-
mirari ſi mulq; deplorare fortunam meam co-
gor: Non enim tale, quid in me reperio, quod pro
iſtis meritis & beneficiis I. C. T. grati animi te-
ſtandi ergo referre dignè poſſim. Viuere ergo et
mori ingratus cogar? Abſit. Scio hoc etiam
gratitudinis eſſe, ^{gratiam} ~~re~~ referre velle: Sic enim Se-
neca grauiſſ. de Beneficiis: Gratus animus ipſa
virtute pro poſiti ſui capitur. Etnil eſt tam gra-
ti animi, quam nullo modo ſibi ſatis facere, nec
in ſpe exaequandi beneficii vnquam aſſurgere.
Voluntate igitur beneficia mihi compensanda
erunt. Quod ipſum Illuſtriſſ. Princeps iam et-
iam facio dum theſes has de VERTIGINE ſub
Auguſtiſſimo & Illuſtriſſ. nomine J. C. T. in
publicum propono, eaſq; eidem Auguſtiſſimo
nomini J. C. T. dedico & obſeruantiaſſ. perpe-
tua ac grati animi teſtificandi cauſſa, offero.
Peto autem quanta maxima poſſum animi de-
miſſione

missione, ut J. C. T. hanc animi mei gratitudi-
nem meliorem in partem interpretari, & hoc
chartaceum munusculum exemplo illius poten-
tissimi Regis (qui vulgarem haustum de manu
infimæ fortis hominis, non habita ratione mune-
ris tenuitatis neq; personæ indignitatis, sed con-
siderata offerentis voluntate, hilari fronte susce-
pit) Tua quoq; Ill. Cel. benigne suscipere digne-
tur. Deus Opt. Max. Ill. C. T. ad sui nominis
gloriam, veræ religionis tutelam, Reipub. orna-
mentum cum tota Illustrissima familia sospi-
tem ac in columem, quam diutissime conseruet.
Heidelbergæ, 17. Cal. Decemb. Anno Christi,
cl. l. C.

Illustriss. Cels. Tuæ

Subiectissimus

SEVERINVS CON-
radi Martens.

A 3 THE.



THESES MEDICÆ
DE VERTIGINE.

I.



Erebrum vt viscerum nobilissimum, sic etiam ratione situs editioris, ac substantiæ mollis & laxæ plus quam reliqua vaporum ad se cum recipiat, periculosissimis affectibus obnoxium redditur.

II.

Accedit hisce temperamentum ipsius suscepti vaporis mutationi maximè accommodum: frigidum etenim quoniam est, ab eius frigiditate materia necessario in humorem cōdensatur, qui pro substantia aut qualitate vel obstructione, vt in Apoplexia vel malignitate vt in Epilepsia sensui ac motui incommodare solet: quos affectus Vertigo plerunque præcedit.

III.

Cum itaque hæc mortalibus plurimum negotij exhibeat, eosque sæpè ex improviso adoriatur, eius tractationem hoc tempore proponere voluimus.

IV.

Nomen huius affectus à symptomate deductum est; Διῶσις siquidem Græcis appellatur ἀπὸ τῆς διῶσις, quod est vertere seu voluere.

His ita

V.

His ita præmissis, operæ præcium videtur indicare quid sit vertigo, quæ nihil aliud est, quam affectus cerebrum eiusq; facultates ita, exagitans vt omnia quæ conspiciuntur circumuolui existimentur.

VI.

Pertinet igitur formalis causâ huius affectionis ad imaginationem vt testatur Galenus Com. 24. lib. 4. de vict. ratione: dicit enim, Vertiginosi sibi imaginantur vel caput proprium vel exteriora circumduci.

VII.

Spiritus enim animalis cum sit tanquam instrumentum ac medium per quod recipiuntur formæ sensorum, sic quemadmodum mouentur, ita etiam obiecta excipiunt ac facultati cui inserviunt, deferunt.

VIII.

Nequè subscribimus illorum sententiæ qui imaginationem minimè impediri astruere conantur, dum contendunt ægros motum illum circularem falsum cognoscere.

IX.

His propositis ad differentias accedimus & statuimus vertiginem aliam morbosam, aliam non morbosam: Morbosa à subiecto cui inhæret morbofo nominatur: si enim humor aliquis noxius corpori insit, naturam debilitat, & ad morbos suscipiendos disponit.

X.

Non morbosæ insignes causæ requiruntur ad cerebrum naturaliter adhuc se habens, ob lædendum.

XI.

Affectiones enim externæ, si quæ sunt corpora nostra inuadentes, eâ lædere minimè possunt nisi ab alia causa in corpore delitescente impetus ipsarum excipiat. *Gal. lib. de opt. secta.*

Verti-

XII.

Vertiginis species tres à Medicis numerari solent, Prima Διωνοσκότωμα, vertigo, cum caput & omnia rotari videntur, Secunda Σκότωμα seu Σκοτομία quando repente tenebræ oculis offenduntur, Tertia Σκοτοδιωνοσκότωμα, quando vtrumq; simul contingit, vbi ægri omnia in gyrum verti putant & tenebræ oculis obducuntur.

XIII.

Cæterum si maior læsio in imaginatiua fuerit minori cū obtenebratione, vertigo Scotomalis, si maior tenebrositas, Scotomia vertiginosa à Barbarorum affeclis indigetari solet.

XIV.

Verum confundi hæc nomina à quibusdam autoribus & Διωνοσκότωμα ac Σκοτοδιωνοσκότωμα appellari deprehenditur, vnde recentiores nihil planè differre existimarunt, cum tamē & etymo & re ipsa distinctas esse Gal. lib. 4. de vict. ratione manifeste demonstrat.

XV.

Auicenna præterea ac Rhasis Scotomian à vertigine secundum magis ac minus differre voluerūt, vt tum Σκότωμα dicatur cum æger ex morbi vehementia concidit: Vertigo autem quando non quidem concidit, sed ad cadendum est dispositus.

XVI.

Spiritus enim interdum ita agitantur vt tum oculis tum reliquo corpori secundum naturæ leges distribui & communicari non possint, vnde visionis & motus voluntarij deprauatio sequitur.

XVII.

Discernitur autem vertigo ab aliis morbis cerebri ac oculorum, & quidem ab Hypochymate quod huius causa

caussa proxima in oculo non autem in cerebro inheret.

XIIX.

Ab Epilepsia causa materiali ac formali. Materia siquidem in vertigine est plerumque humor ac vapor crassus, turbidus ac caliginosus adeo ut menti ipsi caliginem obducatur. In Epilepsia acris, mordax cerebrique ex pultricem facultatem stimulans, quæ ad expellendum id quod sibi molestum est insurgens efficit motum inordinatum.

XIX.

Causa formali; quod Epilepsiam semper comitetur convulsio, vertiginem autem nequaquam.

XX.

Causarum Vertiginis aliæ sunt externæ, aliæ internæ: Externæ seu procatharticæ primum sunt *προσφερόμενα*, quæ corpori admoventur ac inferuntur, ut sunt cibus potus, medicamenta, calor solis, ac ignis, & his similia.

XXI.

Deinde ad externas causas pertinent *ποιέμενα*, quæ fiunt ac peraguntur, ut exercitatio ad motus nimius corporis, creber usus balneorum, consideratio vehemens de re circulariter mota, aquarum vortices, rotarum similibusque rerum circumactis maxime autem corporis immodica & in gyrum facta motio.

XXII.

Internarum causarum aliæ sunt *προηγούμενα* seu antecedentes, aliæ *συνοετικά* seu continentes.

XXIII.

Et hæ dupliciter in considerationem veniunt: vel enim

B ex parte

Ex parte corporis vel ex parte animæ suam essentiam sorti-
untur.

XXIV.

Ex parte corporis causæ antecedentes tum prima-
rio in capite, tum per consensum suam generationem ha-
bent.

XXV.

In capite primario sedem habentes dupliciter etiam
considerantur: aut enim sunt humores in ventriculis cere-
bri contenti, nec dum morbum causantes, nisi ab alio exter-
no commouente scilicet calore solis aut ignis &c. exagitati
fuerint.

XXVI.

Aut est mala complexio ac inæqualis intemperies ipsius
cerebri flatuosum spiritum producens. *Gal. lib. 3. de Loc. Af-
fect. cap. 6.*

XXVII.

Verum hæc (quoniam diuersa est à naturali constitu-
tione, quæ iusto ordine organa facultatum conseruat) etiam
immediatè spiritus commouere consuevit, vt calor ignis a-
quam, teste Auicenna.

XXVIII.

Causæ προηγουμένη per consensum duplices statuntur:
vel enim ex infernis vapor ad cerebrum fertur, vel illud ven-
triculo condolet.

XXIX.

Condolet cerebrum ventriculo plerunque cum in huius
orificio acrimonia malignorum humorum persentitur,
quem affectum Græci cardiogmon, erosionem cordis Lati-
ni appellauere.

XXX.

Per euaporationem morbus induci potest dum vel ex ve-
nis vel

nis vel arteriis teste Auicenna Fen. i. tract. 3. cap. de cau Vertig. aut è ventriculo vitiosis superfluitatibus in eo coaceruatis halitus craffi ac fuliginosi ad caput feruntur.

XXXI.

Hi caussis coniunctis siue continentibus adnumerarii possunt: nam simul atque spiritibus admixti sunt, motum ordinarium ipsorum peruertunt, quæ peruersio actu in regione visus existens, falso excipere obiecta cogit.

XXXII.

Causse coniunxæ vt & antecedentes partim in capite primario, partim secundo ratione consortii partis aliquius, aut totius compositi, suum ortum habent, hoc modo.

XXXIII.

Natiua caliditas dum languescit, licet humores dissoluere, tamen perfecte attenuare, atque sic per insensibilia foramina excernere, cum non valeat, Spiritum flatulentum producit, qui aliis postea partibus communicatur.

XXXIV.

Atque hic peccat in vertigine, vel quantitate, vel qualitate: quantitate, dum sua copia ita cerebrum debilitat, vt ad singula obiecta spiritus in officio continere nequeat.

XXXV.

Qualitate, & quidem duplici: aut enim calidus aut frigidus esse solet: calidum vertiginem inducere. Galenus testatur. lib. 3. de loc. affectis cap. 6 dum inquit: Vertiginem fieri calido vapidoque Spiritu sursum elato.

XXXVI.

Frigidum, caput & cerebrum lædere manifestum est, ex Galeni com. 23. lib. 3. Aphorif.

XXXVII.

Ex parte animæ causa vertiginis, firma consideratio ad res quæ voluuntur ab Auicenna statuitur, vt in thesi 21. diximus.

XXXVIII.

Differentiæ vertiginis variæ sunt: aliæ enim sumuntur à loco siue materia subiecta, aliæ à forma, aliæ a causa efficienti.

XXXIX.

A Loco vt si in capite generetur hic affectus per essentiam, si ab aliis particulis communicetur, per consensum dici solet.

XL.

A forma triplex constituitur differentia: vel enim imaginatiuam, vel visiuam, vel motiuam impediri deprehenditur.

XLI.

A forma læsæ imaginationis discrimen statuitur ratione falsæ circumuolutionis tum proprii capitis, tum exteriorum obiectorum.

XLII.

Si enim spiritus tantum exagitentur in cerebro, caput, si in oculis exteriora circumduci imaginantur. *Capitac. lib. 1. de Affect. capitis cap. de Vertigine.*

XLIII.

Læsæ visionis: dum ea aut deprauatur tantum & Vertiginis nomen seruat, aut aufertur planè & scotoma denominatur.

XLIV.

Si motus spectetur, differentia depromitur secundum gradus intensiōis & remissionis, vel prout spiritum motus magis aut minus est vehemens.

Ab effi-

XLV.

Ab efficiente differentia secundum vaporem species
constituuntur, qui vel sunt sanguinei, vel biliosi vel pituitosi,
vel Melancolici, vel alij maligni Spiritus, qui tum substantia,
tum quantitate tum qualitate, vt dictum est supra, naturam
noxam inferunt.

XLVI.

Signa vertiginis Diagnostica desumuntur aut a forma,
aut a causa efficiente.

XLVII.

A Forma secundum suas differentias morbus cogno-
scitur facile ex verbis ipsius aegrotantis: alias enim caput, alias
exteriora tantum circumuolui, sensumque visus tum depra-
uari, tum aboliri, aegri affirmant.

XLIX.

A causa efficiente indicia pro diuersitate specierum va-
poris, ac temperiei variant.

XLIX.

Si vapor a sanguine fuerit, rubedo faciei, conspicietas
venarum in oculis apparent, pulsatio temporum & vena-
rum post aures cum calore capitis.

L.

A Melancolico succo ac bile raro originem ducit hic
affectus: verum si fiat ob efferuescentiam & acrimoniam spi-
rituum a bile euaporantium dolor pungens ac rodens in ca-
pite oboritur.

LI.

Cui succedunt vigiliae crebrae, inflammationes sine gra-
uitate multa, obseruationes citrinae, idq; tum ratione in quie-
tudinis spirituum a vapore exagitatorum, tum nativae calidi-
tatis in excessu peccantis.

LII.

Sin crassus ac frigidus humor, vtp ituita, causã morbi extiterit. signa sunt dolor capitis grauis ac distendens multitudo somni, tinnitus aurium, aliorumq; sensuum visus scilicet, olfactus ac iustus deprauiatio:

LIII.

Hæc etiam vertiginem per essentiam denotant: per consensum etenim & præcipuè è ventriculo initium sumentis, inappetentia, cardiogmos, vomitus, & aliæ stomachiæ anxietates, signa esse deprehenduntur.

LIV.

Prognosticum est, quod diurna & tenebricosa morbo comitali & Apoplexiæ finitima esse solet, ideo curatio eius maturè & diligenter est instituenda.

LV.

Quæ perficitur suis indicationibus: quid enim & qua ratione agendum, causã & locus affectus demonstrabunt: ab illa namque auxilii genus, ab hac medendi modus indicatur, teste *Gal. lib. de opt. secta.*

LVI.

Causã vertiginis sui ablationem postulat, quod partim ordinata victus ratione secundum qualitatem ac quantitatem conuenientem partem medicamenti ac chirurgia obtineri poterit.

LVII.

Diætã quod attinet, Aër purus, temperatus ac lucidus eligendus, somnus sit moderatus, nec statim post cibum capiatur, exercitium mediocre.

LIX.

Cibus boni succi, concoctu facilis, flatusque expers, stomacho ac ventri accommodus, potio tenuissima minimèq; cerebrum.

13
cerebrum offendens conuenienti tempore ac modo
benda erunt.

LIX.

Causæ omnes primitiuae vt crapula, percussio, commo-
tiones animi, & similes diligenter vitandæ erunt.

LX.

Medicamentis malum tollitur secundum qualitatem su-
am humoris qualitati aduersantibus: redivisus etenim ab im-
moderatione ad temperiem est per immoderationem con-
trariam Galeno lib. de const. Artis Med. attestante.

LXI.

Atque istorum quædam in ipsa accessione, quædam post
accessionem propinari solent.

LXII.

In accessio ne ægri odoratis, medicamentis ac frictio-
nibus, & similibus excitandi erunt; eodemq; tempore glandes
(si alius officium non faciat) ex hiera, agarico, sale gemme
& despumato melle commode adhiberi poterunt.

LXIII.

Clysteres ex decoctu malua, mercurialis, chamomilla,
betæ surfurum cum melle rosato, oleo communi, hiera, pi-
cra, ac sale præscribi poterunt.

LXIV.

Post Accessionem humores qualitate naturæ molesti
expurgandi erunt, quod tamen præmissa iusta præparatione
exequi necessum est.

LXV.

Pituita ergo peccans ex Hip. præcepto concoqui potest
oximellite simp. syr. de Betonica, de stæchade &c. deinde cer-
to ac commodo phlegmagogo euacuari confecto ex miro-
balanis, ac syrupo multarum infusionum rosarum.

LXVI.

Si quantitas sanguinis morbum inducat, vena sectio (nisi aliquid impediatur) adhibenda: & ab ea incipienda curatio siue in principio morbus consistat, siue ulterius progressus fuerit, nimirum propter frequentes accessiones, ubi sanguis est ita vehemens, ut magis possit ad indicandum, quam virtus ad prohibendum.

LXVII.

Imminuendus per venas remotas incipiendus à Saphena, deinde à Basilica, postremo à Cephalica, & venis quæ post aures locantur, præsertim si mensium ac hæmorrhoidum suppressio vertiginem excitarit. Verum diligenti attentione obseruandum est, ne acerrimè in quacumque, facili enim occasione concidunt ægri. *Actius serm. 6. cap. 7.*

LXVIII.

Anterior omnia licet quidam sint, qui in pertinacia huius morbi, sanguine effervescente, imperant, tamen nos eam temere tentandam non existimamus, cum experientia testetur illam ægros, plerumque in vitæ discrimen deducere.

LXIX.

Perfectis & absolutis vniuersalibus enactuationibus ad confortantia ventriculæ & caput est deueniendum, quod fieri potest Arom. ros. Diagal. Diaplin. sarcot. & aliis etiam simplicioribus medicamentis, quibus cum practicum libri repleti sint, nos in his pertractandis non erimus prolixiores, cum succinctam tantum huius morbi

tractationem susceperimus.

PROSPHO



PROSPHONEMA

- Ad Respond.

SEVERINVM CONRADI

MARTENS Lituanum

MEDICINÆ CANDIDATUM;

Scriptum à

MELCHIORE ADAMO

Philos. M. & Poët. Cor.

PRODIRE tandem mens te agitat cata

In Phœbi arenam, non sine adorcâ,

Et experiri istos lacertos

In uedicâ, SEVERINE, pugnâ;

Maçte instituto hoc! Alite prosperâ:

Exurgis; acri quando theses stilo

Fers elaboratas, satis que

Fonte Machaonio refusas.

Iam jam quadrigis Gloria te sequax

Albis repostum differet includè:

Iam jam triumphali eruditum

Laureolâ caput implicabit.

Scintilla nudo sub silice abdita,

Ni prouocetur, nullius est preti:

Es uilitatur non reuicta

Publicitus crepero ars duello.

B § ODA



O D A

AD DOCTISSI-
MVM ET ORNATISSIMVM
virum, D. SEVERINVM CON-
RADI MARTENS LI-
tuanum.

Respondentem.

Sensere quid mens ritè, quid indoles
Nutrita sacris in penetralibus,
Possèt sepulcorum parentum
Turba die meliora nata.

Sentimus & nos. En patris incliti

Quónam feratur pectore filius
In peruicaces veritatis
Æthereæ benè doctus hostes.

En hos asellos vt fugat improbos,

En his acutas vt fugientibus

Impingit hastas. En cruenta vt
Membra feris lanianda linquit.

Hunc ipsè nunquam, qui pluit & tonat

Obluiones carpere liuidas;

Chartis inornatum fileri

Non patietur eum venustis:

Ast antecellet vertice ceteris,

Multos auaræ mortis & è manu

(Letare

(Latere qui decumbis æger,)
Eripiet medicam per artem.
Ergò laborem ne fuge dum theses
Defendis istas; ne uè molestiam
Horresce, fidam porrigente
Pallade, mi SEVERINE, dextram.
Sic ter beatum, quin quater amplius
Nato parentem, sic patre filium
Feliciorem prædicabit
Ore pio Lituana turba.

Haloïnus Gothofredus
Ulraictinus.

F I N I S.



B-90

4207 - B puz. loc. #4382-B.

Martens Aueryn Konrad

D.O.M.A. Theses medi-
cae de vertigine, quas ...


Heidelbergae 1600.

L. uicina.

Bn 308678-10

P-16

1-52

Biblioteka Wróblewskich.	
Lit. 	Nr <u>42077</u> <u>4382</u>
Półka	Dział <u>13-90</u>

Martens - Ca. 143.

(v. 1600)

Mehlmann (v. 1605).

~~Cap 1-60~~